

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent.
ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. &
Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia
Lipsiensi, Commentarius In Librum ...**

Mülmann, Johann

Dresdæ, MDCCI

VD18 10367071

Caput XVII.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18377

nihil magis inimicum contrariumque est avaritia, quæ rectâ ambulantes ab orbita salutis abducit, expellens corde verum DEI timorem, fictitiumque numinis cultum substituens. Unde *Paulus* Ephes. V, 5. *Omnis avarus est idolorum servus.* Quare avaritia tanquam pestifera religionis lues est fugienda.

II.

In Ephraimitis proponitur nobis exemplum hypocritarum.

Ut enim isti sacerdotibus quidem urbem nobilem donant, cujus tamen reditus & tributum ad proprios usus transferunt: sic multos reperies Thraſonicâ levitate inflatos, qui plenis buccis suam in ministros verbi divini liberalitatem jactitant, quibus re exigente ne obolô quidem profunt. Hos DEus ut tepidos & ministerii sui illusores ore suo emovet Apoc. III, 16.

CAPUT XVII.

Continet caput hoc hereditatem, quam dimidia tribus Manasse in parte terræ occidentali per sortem nacta est, cujus complexu hæreditas quoque Ephraimitica ambitur. Quia verò propter πολυχλίαν non sufficit ad habitandum duabus tribubus, addit eis Josua sylvas ac montana, ubi gigantes habitabant.

Partes capitis tres sunt:

I. est μεσωπωροφια, docens, quibus personis distributio facta sit, usque ad v. 7.

II. est



II, est χωρογραφία five *descriptio locorum*, usq; ad v. 12.

III, est ἀιμεολογία five *exprostatio*, qvâ filii Joseph sibi plus terræ ob multitudinem hominum deberi contendunt.

v. 1. *Cecidit autem sors tribui*)

Ponitur ab initio παλιλογία i. e. *repetitio hereditatis*, qvæ alteri dimidiæ Manassæorum tribui, ad Orientem sub Mose fuerat data, & appellatur hîc sors per *metonymiam adjuncti*, qvia sorte vel omnis vel pleraqve facta fuit distributio. Sortis hujus regiones primariæ vocantur; Basan & Galaad: cujus posterioris appellationis autor non est ejus possessor Galaad, nepos Manassæ, sed dedit ei loco nomen multò antè Jacob, cum acervo lapidum facto pactum cum Labano initum confirmaret Gen. XXXI, 47. Notandum igitur, qvòd nomen Galaad est ομώνυμον ἀπὸ γόχης; partim enim est *nomen viri*, qui est nepos Mahasse: partim est *nomen montis* ac regionis ultra Jordanem in plaga Orientali.

Fit autem hîc mentio omnium filiorum Manassæ non ideò, qvòd illis omnibus Galaad & Basan contingerint (nam Everitæ in occidentali plaga hæreditatem inveniunt v. 3.) sed qvia historicus transit ab una dimidia tribus ad alteram. Et qvia tota tribus Manassæ dividitur in 8. familias Num. XXVI, 29. sequitur, utnam dimidiam qvatuor familias complecti. Exempli gratia: In terra orientali hæreditatem adepti sunt Machir & Jair Deut. III, 14. Galaad & Helek; Neq; refert, qvòd Salphaath non reliquit filios suæ sortis hæredes: nam deficientibus illis, DEI promissione ac jussu

jussu translatum est ad filias ejusdem Num. XXXVI, 4. &c. Notetur autem 1. filiarum Salphaath petitio, quam confirmant promissione DEI. 2. Petitionis Concessio: nam impetrant possessionem in medio fratrum patris sui.

v. 2. *Abiezer*) Num. XXVI, 29. dicitur Jezer, Deut. III, 14. contractè dicitur Jair יַאֲרִי.

QVÆSTIO I.

An Machir fuerit unigenitus Manassæ filius?

Affirmatur.

I. Quia Gen. L, 23. postquam dictum est, Josephum vidisse filios Ephraim usq; ad tertiam generationem, non additur, eum quoque vidisse filios Manassæ, sed hoc sequitur, filii quoque Machir filii Manassæ nati sunt in genibus Joseph: Unde colligitur, Manassem non habuisse plures filios, quam unum.

II. Num. XXVI, 29. legitur: *De Manassæ ortus est Machir.* Et mox Genealogia per filios ejus contextitur his verbis: *Machir genuit Galaad.*

III. Supra cap. XIII, 31. fit quidem mentio filiorum Machir, tanquam plurium, sed non filiorum Manassæ.

Negatur.

I. Ratio ex textu desumpta est hæc:
Nullus primogenitus est solus filius:
At Machir est primogenitus Manassæ.
E, non est ejus solus filius.

MI.



MIN. patet, ex textu v. 1. MAJOR probatur ex natura correlativorum, quia nomen *primogenitus* habet sese *ἑλμῶς* ad posteriorem filium, quo non subsequente, rationē titulumq; primogeniti non admittit.

II. Quia textus meminit non tantum filii, sed etiam filiorum Manassæ; v. 2. Isti sunt filii Manassæ.

SOLUTIO.

Resp. ad partem negativam: In I. argumento MAJOR non est universalis. Nam *primogenitus* dicitur *bifariam*:

1. *relativè* & cum respectu ad posterius genitum, quò sensu negatur *Machir* primogenitus Manassæ.

2. Dicitur primogenitus *negativè*, qui non habet fratrem ante se genitum, licet nec post se genitum habeat. Hoc sensu Christus dicitur primogenitus Mariæ Matth. I, 28. & hic *Machir*. Et Exod. XIII, 2. definitur, primogenitum esse, quod aperit vulvam.

In II. argumento *vox filii* accipitur *generaliter* etiam de nepotibus & pronepotibus, sicuti hoc in loco; nam pronepotes Manassæ sunt Gezer, Helek, Afriel, &c.

QVÆSTIO II.

An Machir acceperit Basan & Galaad in distributione terræ orientalis?

Affirmat hoc textus expressè v. 1.

Contrà sic argumentor: *Machir* non vixit illo tempore,

Ergò nihil accepit.

Antecedens probatur: quia distributio ista facta fuit à Mose anno 40. ab exitu Deut. I, 4. & c. III, 1. At *Machir* in Ægypto natus est, & adhuc vivente Joseph Gen,

Αααα

Gen,



Gen. L, 23. Genuit filios. Fuisset ergò, si tam diu vixisset, ætatis ejus, quæ hominibus contingere jamdudum cessaverat.

SOLUTIO.

Nomen Machir, Galaad & reliqua nomina accipiuntur in textu per *Metonymiam causæ* de tota familia & posteritate illorum virorum i. e. de Machiritis, Galaaditis &c. sicuti recitantur Num. XXVI, 29. Sensus igitur est, quod Machir Manassæ primogenitus & Galaad puginator ille cum reliquis non in sua persona, sed in posteritate terræ sanctæ hæreditatem ac possessionem nacti sint.

SECUNDA PARS CAP.

v. 5. *Et ceciderunt funiculi*)

Hæc est *secunda pars cap.* in qua terra Manassæis distributa describitur duplici modo. I. *ἡ γῆ ἡ ὁριζουμένη*. 2. *ἡ γῆ ἡ ἰσχυρῆ*. e. quoad situm. *Quantitatem* si quæris, accipit Manasse 10. funiculos v. 5. *Funiculus* est instrumentum mensurandi terram, quod quidam circiter LX. stadia capere putant i. e. duo miliaria Germanica. Vide Avenarium in Lexico Hebraico de voce חבל. At si terra Manassæa, ut ex dimensione totius ambitus apparet, 40. miliaria continet, sequitur, unum funiculum 4. miliarium German: longitudinem exæquare.

II. Describitur *à situ*, ubi i. tribus Manassæ comparatur cum vicinis locis ac tribus. Nam *à Septentri-*

trione tangit tribum Aser: à meridie verò, quæ nomi-
ne dextræ innuitur, tangit tribum Juda ad fontem
Taphuë, ibidem. 2. Comparatur pars Manassæ cum
parte Ephraim, quibus quidem pro communi termi-
no est terra Taphue & extremitas maris salsi à meri-
die v. 8. quemadmodum à Septentrione urbes sunt,
quæ recensentur v. 11. sed dividit eas torrens quidam
ex aliqua parte à meridie & Septentrione. Deinde
civitates Ephraim sitæ sunt in tribu Manassæ: Diffe-
runt ergò ut continens & contentum. 3. Ephraim
est magis meridiana quàm Manasse v. 10.

v. 8. *Filiorum Ephraim*) Legito recti-
us: *filii Ephraim* seu filiorum Ephraim. Nam præfixa
litera — constituit vel Genitivum vel Dativum. He-
bræustextus sic habet: *Ipsi Manassæ fuit terra Taphuæ,
& Taphuæ ad terminum Manassæ filii Ephraim scilicet
fuit.* Sensus est: Ubi hæreditas Manassæ terminatur,
ibi Ephraim participat de terra Taphuæ. Significat
autem Taphua arborem pomiferam, cujus fructus
bonæ sunt fragrantia.

TERTIA PARS CAPITIS.

Locutique sunt filii Joseph)

Hæc est *tertia pars*, in qua filii Joseph additamentum
terræ postulant. Incidit autem hic duplex status: U-
nus est *Juredicialis*: *An filii Joseph sortem augere æ-
quum sit?* Ipsi affirmant, argumentum petentes à ne-
cessario: Per DEI benedictionem nos sumus populo-
sissima tribus: Ergo æquum est, nostram sortem auge-

Aaaa 2

ri.



ri. Respondet Josue per Concessionem: Esto: quærite in terra Pherezæi ac gigantum succisis sylvis vestræ fortis ampliationem.

Alter status est *Conjecturalis*: An Cananæi in montibus habitantes possint expelli? Filii Joseph hoc negant sumto argumento à signo præcellentis potentia, cujus sensus est: Omnes utuntur ferreis curribus: Ergo à nobis expelli non possunt. v. 16. Contrà Josue id affirmat, & utitur eodem argumento ad partem filiorum Joseph accommodato, q. d. Quid metuis gentium fortitudinem, tu quoque populus multus es & magnæ fortitudinis v. 16. Ergo eadem facilitate tu subvertes Cananæos, quæ te hi, aut etiam multò majori. Fuerunt autem Pherezæi populi habitantes in montanis Samariæ, in vicinia tribus Ifaschar versus septentrionem.

LOCUS COMMUNIS.

De rerum utilium adjunctis.

Ita comparatum est cum *rebus jucundis, preciosis & utilibus*, ut suis non careant molestiis & difficultatibus: Ecce filiis Joseph promittitur præclarum terræ additamentum, sed ejiciendi sunt prius incolæ, viri formidabilis potentia ac roboris. Ut autem illis hoc beneficium parùm gratum est propter adhærens periculum: ita pleriq; metu molestiæ magnis se fraudant utilitatibus. Verùm nos respicientes illud *Aristotelis*: χαλεπὰ ἔτι καλὰ i. e. quæ honesta & preciosa sunt, difficilia sunt; studeamus tantò majore labore superare molestiam, quantò majorem speramus commoditatem.

CAP.



CAPUT XVIII.

Congregato universo populo, erigitur tabernaculum testimonii, quod est sancti ministerii domicilium in urbe Siloh. Postea missis Geographis, qui reliquam terram in 7. partes convenienti ratione dividunt, confertur Benjamitis prima ex illis hæreditas.

Partes tres sunt I. *ὁμοδομική* de erectione tabernaculi sacri & continetur v. 1.

II. est *παροξυντική* *adhortativa*, qua Israëlitæ excitantur, ut properent ad occupandam reliquæ terræ possessionem usq; ad v. 10.

III. est *χρηστική*, in qua terra tribui Benjamin deputata describitur.

v. 1. Congregatique sunt omnes

In hac prima parte 4. notentur causæ sive circumstantiæ.

I. *Causa efficiens* sive erigens tabernaculum est univ. versus cœtus Israelitarum.

II. *Subj. Lum* seu locus est Siloh, mons ac oppidum, in tribu Ephraim. Posuit enim Josue ideò tabernaculum de tribu sua, ut sacrorum cultuum accuratior inspector esse posset. Mansit autem in Siloh arca Domini usq; ad tempora Heli sacerdotis, tunc à Philistæis rapitur 1. Reg. IV, II. sed restituta deportatur in Cariath-Jarim in domum Abinadab. 1. Reg. VII, 1. Unde eam David in Sion suam civitatem transfert 2. Reg.

Aaaa 3

VI, 2.

